



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Barnabas Apost. 11. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

*Nec cedendum nec recedendum, etiamsi gravatentationum fervor utriusque hominis statum affligerit: eligamus potius ardere, quam cedere. S. Bern. serm. 3. de Vig. Nativ.*

S. BARNABAS APOST. II. Iunii.

**H**ABUIT BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Judaica Gamaliclem; in Christianam ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquamdiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut caelo delapsa Numina excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Iovem venerata. Et profecto, etsi, ut par erat, divinum honorem longe illi repudiarunt, officio tamen tunc melioris Mercurij functi sunt; DEVMque civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Iudaei plausum lapidibus excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum, facile hominem, non DEVM esse probarunt. BARNABAS etiam Salaminae a Iudaeis multis tormentis exercitus, faxis ultimo obrutus, & in ignem coniectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum caelo Phoenicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terram composuit. Multo post, cum in sedem Antiochenam invasisset nescio quis haeresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholica etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salaminae Episcopo tertium visus monuit, uti communis causa patrocinium Constantinopoli apud Imp. susciperet, simul etiam indicavit, quo loco ossa sua, & una volumen, in quo D. Matthaei

N

Evan-

Evangelium exaraverat (nobilissima cinelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro inclusit, rectè geminam esse ratus.

Ex act. Apost. Baron. & Lipp.

*Agnosce dignitatem tuam. & divina consors factus natura, noli in veterem utilitatem degeneri conversatione redire: memento cuius capitis & corporis sis membrum, & quia eructus de potestate tenebrarum translatus es in Dei regnum & lumen.* S. Leo ferm. de Nat. Dom.

### S. ONVPHRIUS CONF. 12 Junii.

**O** NVPHRIUM toto hirsutum corpore, & rara humani cultus retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstris, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externâ specie substitisset. At ubi congressus vitæ genus moreque didicit, dubitavit hominè inne potiùs an Angelum diceret. In Thebanâ regione monachum indutus, cum de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum viæ comitem habuit. Nactus deinde novi instituti magistrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus est. Inde illi cibum, menstruo proventu; panem & aquam Angelus afferebat quotidianus minister. Octavo quoque die, ut delicatius vesceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, maiore pompâ, & debitâ Numini est advectus. Et potuit credo ONVPHRIUS hâc Cælitum amicitia beatorum hominum oblivisci: certè septuaginta totos annos mortalem non vidit, donec, quem nominavi, Paphnutius Dei iussu moriturum inivit, ut è silvarum latebris tam rara vitæ, eo præcone protraheretur.